

12

ORATIO
DE
SS.MO PATRIARCHA,
INTEMERATÆQUE VIRGINIS
GENITRICIS DEI MARIÆ
FELICISSIMO CONJUGE
DIVO JOSEPHO
PUBLICè RECITATA
IN ALMA METROPOLITANA,
AC PATRIARCHALI ECCLESIA
HISPALENSI
DIE 1. DECEMBRIS ANNI 1777.

A D. FRANCISCO MARIA
GONZALEZ DE MENDOZA, ET MALCAMPO,
IN AULA TERTIA, ET QUARTA
COLLEGII MAJORIS
S. THOMÆ AQUINATIS
PRÆLAUDATÆ CIVITATIS STUDIOSO LATINITATIS
CANDIDATO,
ET ELABORATA
A P. Fr. FERDINANDO REYNOSO,
IN PRÆDICTO MAJORI COLLEGIO HUMANARUM
Literarum Professore.

HISPALI: Cum approbatione D. Censoris Regij, & cum licentia,
ex Typogr. Emman. Nic. Vazquez.



ORATIO.



IRARI fortasse vos credo (amplissimis summisque laudibus ob præclaram meritorum copiam commendabilis Præses : Honoratissime omnium ordinum adstantium cætus : Studiosa Juventus.) Mirari fortasse vos credo , me , nullo neque ingenio, neque exercitationis usu , neque doctrina sublevatum, in hoc orbis gentium, & addicendum amplissimum , & ad agendum ornatissimum Theatrum , apud hanc tantam doctissimorum hominum frequentiam, & gravissimum conspectum de Sanctissimo Patriarcha intemeratæque Virginis Genitricis Dei Mariæ felicissimo conjuge Josepho verba facturum conscendisse. Satis mihi quidem exploratum est, quam ar-

duam susceperit provinciam, & difficilem, qui in amplissimo doctissimorum hominum conventu dicere conatur, quippe illè invenire subtilitèr, inventa prudenter collocare, collocata copiose eloqui, elocuta venuste pronunciare debeat: quapropter à suscepto omnino deterrerer consilio, si humanitati vestræ confissus, non tam quæ dicam, quæ non poterunt non esse puerilia, quam studium, ac voluntatem meam vos confiderem spectaturos. Talis tantaque mihi oblata est causa, ut quamvis numquam sit ad dicendum defectura, attamen, cum nullum tam magnificum, ac incredibile dicendi genus, nulla ingenij ubertas, & copia, nullus eloquentiæ ornatus, qui eam pro dignitate extollant existere possunt, debilis, ac tremebunda semper proferetur Oratio. Quoniam autem si maximis Josephi virtutibus, quæ à quoquam licet fandi potentissimo nequibunt aspirari, cogitationes auditorum avidæ depascantur, ipsorum flagrantissimis satisfiet studijs, & desideria complebuntur, ideo unam aut alteram (quis enim omnes

nes enumerare ausit?) attingam. Et ne longius nostra vagetur oratio, hoc tergemino honore totam Josephi dignitatem complectenti deffinietur: Scilicet Joseph vir Mariæ fuit: Pater Jesu fuit: Filius Davidis fuit, & faber. Hoc dum paro, nonnullum in vobis præsidium quæro (auditores) ut illam tantam audiendi benignitatem, qua apud vos verba facientes prosequimini, mihi vestra patientia nullatennus abusuro indiserto Oratori tribuatis. In hac igitur Josephi laudatione non ambitu verborum laborabo, sed nudas tantum rerum summas exponam: proptereà, quod si virtutes ejus, quibus non solùm æquales, sed etiam majores natu antecellebat omnes, percensere conaremur, os illum probum, facundum, consilij plenum, illa derivata de cœlo species, ille mentis ingenitus candor, illa animi mansuetudo, & suavitas ad omnem humanitatem composita, præterèa accuratissimus Numinis cultor, paternarum traditionum religiosissimus assertor, mitis in contubernio, effusus alijs, sibi parcus,

 om-

omnibus affabilis, Deo gratus, tantam dicendorum copiam præberent, quanta justis conscribendis voluminibus sufficeret. Sed præ his ab animo pariter ac natura derivatis dotibus, ille virginitatis candor, quem ultimum ad usque vitæ spiritum custodivit intemeratum, maximis preconijs memorandus est. Decebat enim ut ille vir, cui virginum virgo tradebatur custodienda, tanta virginitate floreret, tantam apud Deum gratiam inveniret, tantæ apud homines esset sanctitatis, ut sponsus virgo, miraculo virgæ florentis auspicante, Immaculatæ Virginis esse meretur dignissimus. Quapropter mulierum Speciosissima, Dei futura Genitrix, Virgo, Angelorum decus, præstantissimum humani generis Ornamentum, Maria, non solum non dedignatur accipere sponsum, sed diligere fratrem, sed venerari Josephum parentem. Intermerata enim Mariæ Virginitate Josephi geminabatur Virginitas, & novo Divinæ Gratiæ miraculo forma non pudicitiæ contradicebat, sed suffragabatur. Fortunati conjuges, quibus pronuba Di-

vi-

vinitas affulsit, quibus maxima, in qua omnes Cœlorum divitiæ continebantur, dos, nostra vestitus carne, nostramque reparaturus naturam Unigenitus scilicet Dei Filius traditur pascendus, custodiendus, educandus. Tanta igitur auctus Dignitate Josephus, maxima, quæ potuit, vota concepit nuncupavitque digna majoribus suis, digna Davidis Filio, digna Mariæ Sponso, digna se ipso. Hinc illud supra omne, quod dici, aut excogitari potest prestantissimum Josephi munus, quod veterum nulli mortalium contigit, nec posterorum continget. Quid enim præstantius, quid admirabilius, quam ut hominum assertor Christus ei obsequatur, quem ipse condidit! Vocitet Patrem, cujus advenerat reparator! Et suum habeat, quem ipse alebat, altorem! Hæc maxima Josephi Dignitas, hæc meritorum suorum luculentissima commendatio, quæ tanto quorumlibet commendabilium virtutibus antecellit, quanto obsequentissimum se præter omnes exibuit Christus. Josephus igitur alumnum Orbe majorem suas in ulnas aci-

cipiebat, nec tanto deprimebatur pondere, quia ab ipso, quem rerum vniversitas fabricatorem, & conservatorem experitur, virtutem accipiebat, & vires. Mortalis itaque Joseph immortalitatis munia quodammodo consequutus, eam vitam, quæ nunquam moritura, quæ sempiterna, perpetuaque futura, fruituraque voluptatibus, & æternis, & maximis vivebat. Mirificis, ac divinis gaudijs ex aspectu, colloquio, complexu, convictuque illius, quem tantopere adamabat, in terris jam potiebatur, perpetuo in Cœlis potiturus. O maximum Josephi meritum! O maxima Sanctitas! Ipse ab ipso humilitatis obedientiæ, & mansuetudinis, mansuetudinem, obedientiam & humilitatem didicit Josephus Magistro. Nusquam gradum efferebat, quin Divina virtus eum quasi umbra comitaretur, & quoniam mens sua mortali contagione secreta, pura omnis, funditus sincera, ubique se promerendo Deo præstabat, minime ambigendum est, quin tantæ Deo curæ esset Josephus, quanta solicitudine, charitate & benevolentia Deum

ip-

ipsum mortali circumvestitum carne ille custodivit: Quin humanum supergressus modum, quidquid ab ipso omnium munerum largitore Deo petivit, acciperet, majora in posterum accepturus, cum id, & vita sua mereretur, & virtutum suarum magnitudo exigeret, & ipse Deus obsequens esset imperanti Josepho. Cedant illi non recentium modo sæculorum Heròes, sed totius memoriæ vetustas glorietur penes se sanctitatis famam extitisse; Omnes igitur quotquot, virtute, & sanctitate ducibus, ad refrænandas cupiditates, ad propitium habendum numen, strictè parce, moderatèque vixerunt, quorum etiam ætas carnis maceratione conterebatur omnis, quando non solum Cœlestem opem presentiorem, sed & obsequentissimum sibi Numen pro merito integritatis habuerunt! Nec minora sunt (Auditores) promerita, quæ ab suorum claritate Gentilium derivata, Josephum super æthera tollunt. In ipso enim præstantioris nobilitatis Architecto præstantissimum Davidis regium tot avitis stemmatibus, clarissimisque nobilitatum insignibus, genus finitum fuit. Sed miramini, (Auditores)

mirabilia Divinæ Providentiæ opera. Regalis equidem Christi genealogia exordium in agricola, in fabro autem finem habuit, ut illud fatale lignum communes peccati fructus producens, & acerbos, quod primus orbis agricola, & hominum parens Adamus severat, à Christi parente, & fabro Josepho exideretur. Nec ejusmodi sunt à Christo natales alieni. Nascitur enim ipse orbis effector ac reparator Christus inter ipsa, malleos, forfices, clavos, & ligna, vitæ ministeria, quæ postea suæ mortis instrumenta fuere. Quid ergo aliud hujus Universitatis ædificator Deus, Orbibus tornandis, inspicandis montibus, campis dolandis, fingendis hominibus incumbens, quam fabrilia, fecit? Ut merito Deus ipse faber, & fabri filius appellandus sit. En igitur, Auditores, maximam Josephi dignitatem. Jactet Orbis caput Roma suum mundi domitorem Augustum; Domini rerum vocitentur Romani: Sed parvum Nazareht oppidum de suo meliori glorietur Augusto, (Joseph enim Augustus dicitur) rerum Dominorum Dominum domi suæ possidere, pascere, educare, custodire ob ipsius preclarissimas virtutes singulari Divini Numinis providentia designato.

nato. Sed jam (ornatissimi Auditores) quoniam mihi & temporis rationem est habendum, & hac tanta vestra audiendi benignitate nullatenus abutendum, nihil superesse videtur nisi ut in hac extrema Oratione mea (si tamen Oratio dici potest Sermo invenustus, & inficetus) ad Sanctissimum Patriarcham Josephum unice convertamus. Quantum enim ipsum apud Deum valere censetis, & valiturum? Quid non obtinere, quid non suis præcibus efficere posse putatis? Ejus igitur patrocinium, semper nobis præsentissimum futurum, hoc suarum specimine virtutum apud animos nostros frequenter proposito, ambientes imploremus. Fieri enim non potest, quin, ipso apud mundi Æffectorem, paritèr ac Rectorem Deum interveniente, nobis neque in fugiendis periculis animus, neque in ferendis laboribus constantia, neque in tolerando illatas nobis injurias, patientia, neque in adimplendo Divinæ legis præcepta, subsidium, neque in studio virtutis amplexando, cæleste propitium Numen defuturum.

DIXI.